

IVSTITIA VINCIT OMNIA.



VENERABILI

CONGREGATIONE

ADVOCATORVM, ET PROCVRATORVM

SANCTI IVONIS.

EMINEN.MO, ET REVER.MO

D. CARD. SACCHETTO

TVTELARI,

R. P. D. CARPINEO

PRÆFECTO:

VERITATIS DISCVRSVS

Pro

GLORIOSO PAVPERVM PATRONO.

BONAVENTVRA ARRIGHINIVS LVCEN. ADVOCATVS.

Die 19. Maij. MDCLIV.

ROMÆ, Ex Typographia Franciſci Monetæ. 1654.

Superiorum permiſſu.

VENERABILI

CONGREGATIONE

ADVOCATORVM, ET PROCVRATORVM

SANCTI IVONIS.

EMINEN.mo ET REVER.mo

D. CARD. SACCHETTO

TVTELARI.

R. P. D. CARPINEO

PRÆFECTO.

VERITATIS DISCVRSVS

Pro

GLORIOSO PAVPERVM PATRONO.

BONAVENTVRA ARRIGHINIVS LVCEN. ADVOCATVS.

Die 19. Maij. MDCLIV.



ROMÆ, Ex Typographia Francisci Monetæ. 1654.

Superiorum permissu.

INNOCENTIO
DECIMO
PONTIFICI
OPTIMO
MAXIMO.

BEATISSIME
PATER.

TVO Sanctiſsimo PACIS ſinu IVSTITIA recumbit: Ideo hac Iuoniana IVSTITIAE colorata Imagine, ad S. T. ſacratiſsimos pedes accedere non pertimeſco. Accipe Oratoris deuotiſsimi hoc minimum Aduocati Pauperum Simulacrum, in quo dum vixit animi candore INNOCENTIA, ſemper

IVSTITIA refulſit : Et pari modo, quia P.S. Dilexiſti IVSTITIAM, & Odiſti iniquitatem, propterea vnxit Te Deus, QVEM diu ad beneficum totius Orbis tutamen INCOLVMEN ſeruet.

I. V. O.

EMinentiſsimi PP. Excellentiſsime Princeps, Illuſtriſsimi DD. Auditores Præſtantiſsimi. INclyta veterum Romanorum Reſpublica, coronati ſtemmatis corde, quatuor aureos caracteres inſculpſit S. P. Q. R. quibus eloquentiſſima Aegyptiorum lingua, Senatus PopuliQue Romani glorioſiſſimum protulit nomen. In hoc verò, pietate inſignium Iuris peritorum Collegio, animati ſtemmatis inſtar, refulget Sanctus, Aduocatus Pauperum I.V.O, cuius, tribus compaginato, myſterioſis literis nomine, I.V.O. fœliciori promanat omine, vt cunctis vbique pateat vulgatiſſimum illud, IVSTITIA VINCIT OMNIA. Et hoc quidem non caſu fuit ſibi à Parentibus impoſitum nomen, cum ternario numero Iuſtitiæ potentiam exprimeret, A ſub qua militare debebat. Non equidem inconſultò, nam cum ea, tamquam omnium virtutum Regina, vix impuberem aſſumptus ætatem, ſe deſponſauit I.V.O, & ſic luce clariùs fatendum ſibi à Superis ſtipulatam, dum non tantum Iuonis animæ, verum etiam nomini iunxit Cœlum: vt hac tanta Heroum Coniuge & duce, pauperum depreſſores opprimeret, & vltricis Virginis gladio iniquos cæderet illos, qui temerè aſſerunt: Eia Socij in pauperes quamuis ſine iure potentia experiri, lucrum eſt, nam, forſan neſcitis, quod Iuſtitia pauperum contempta eſt?

A Pier. Valer. lib.3. 83. C.

Prætermitterem, ſi non immeriti hac mane Oratoris fungerer vice, Iuonis Patriam deſcribere, cum ex Themiſtoclis dicto, non ſplendori Patriæ, ſed virtuti propriæ fidendum ſit. B At quia ipſius ortus apud citeriores Britannos non longè à Trecorenſi Vrbe S. Martini pagus digniſſimum mihi tribuit prænunciæ IVSTITIAE argumentum; Ideò non ſunt præclara natalia in hoc

B Xiphilin. in Nerua.

celeberrimo pago, qui etiam ex Romano ſolo meruit ad OLYMPVM extolli, ſub ſilentij tenebris inuoluenda. In hoc enim ſuaptè natura abſque primis, vt moris eſt, Iuſtiniani elementis distributiuæ IVSTITIAE hauſit IVO alimenta; Fodio, ac ſero perexiguum agellum, non malum tamen, ſed omnium IVSTISSIMVM, ait Zenophon ille: ſubdens, quantumcumque enim ſeminis acceperit, idem probè, IVSTEQVE reddit, nec vnquam quod accepit, cũ multo fœnore reſtituit: A Comprobat idem Cicero pro Roſc. Amerino, quod vita ruſtica, quam nos agreſtem vocamus, parſimoniæ, diligentiæ, IVSTITIAE, magiſtra eſt. B

A Cic. de Senect.

B Terra fuit apud Aegyptios Iuſtitiæ hyeroglyphicum. Pier. Valer. libro 22. p. 97. C

Ex hoc enim etjam Puer tutiſſimo IVSTITIAE tramite diſcere potuit, quod ſtudent quotidie in Pandectis ſenes, & docet Exod. cap. 22. Si læſerit quiſpiam agrum, vel Vineam, & dimiſerit iumentum, vt depaſcatur aliena, quicquid optimum habeat in agro ſuo, vel in vinea, pro damni æſtimatione reſtituet; & ſi egreſſus Ignis inuenerit ſpicas & comprehenderit aceruos frugum, ſiue ſtantes ſegetes in agris, reddet damnum qui ignem ſuccenderit. Iuris præcepta hæc ſunt, alterum non lædere, Ius ſuum cuique tribuere, ad ſuum quodque bonum tuendum adinuenta. Ideò natus in agris IVO, vt ex illis ad Vrbes, IVSTITIAE ſemen tranſmitteret. Sic Curius, Attilius & cæteri ſenes à Villa in Senatum accerſebantur: Vnde ex D. Bernardo, Bona vinea IVSTVS cuius virtus vitis, cuius actio palmes, cuius vinũ teſtimonium conſcientiæ, cuius lingua, torcular expreſſionis, & lacrymæ piæ contribulantium, vuæ ſunt amantium. C

C Bernar. in Ser.

Coruſcant digno probitatis, & honeſtatis titulo IVONIS Parentes; Patri enim Ahelоro, Matri verò Azzoni nomen fuit. Coruſcãt, inquam, Ahelorus enim, præcioſiſſimo charitatis auro, genitrix verò, Sanctiſſima pietatis lege, dum Azzo fuit; & non mirum, ſi myſtico, inſigniti parentes, nomine, pariforme, fuerit IVO, nomen ſortitus. Sinonimæ eſt enim naturæ, IVSTITIA, & aurum, cum ſicut IVSTITIAE obediant omnia, ſic auro; immo nonne mortalium geſta, aurea, ponderat IVSTITIA, lance? Ideo non immeritò, ſi dicto IVSTITIAE nomine vocauit Ahelorus IVONEM filium, vt ſibi, & Genetricis reſponderet omini. Ecquis ergo negabit non fuiſſe in IVSTITIAM numen tutelare noſtrum congenitum, ſi fuit in Azzonis viſceribus compaginatum?

Prodigia per ſomnium genitrici oblata, voces, fulgura, nonne Sanctitatis, IVSTITIAE euidentiſſima ſigna, quibus clariſſimorum hominum ortus præmonſtratur? Voces non niſi è cœlorum

Solio

Solio demiſſæ, in quo magis Pauperes ſpiritu, quàm diuites regnant, angelicas earundem animarúm ácclamationes fuiſſe cum lætabundæ coram Deo tamquam in ſpeculo, ob pauperũ Patrum occaſum: ad derelictæ miſeræ progeniei præoptatam opem, mox quaſi nouum in Terris IVSTITIAE ſolem oriturum proſpicerent. Fulgura immortalitatis nuncia, cælebritatem nominis ex quo prædicata IVSTITIA diuinitus auſpicabantur. Nam Olympiæ Alexandri fulmen per ſomnium oblatum futuræ in filio claritatis, indicium fuit. [A] Sed non adhuc infantilibus crepundijs ſepoſitis, maiora futuræ, morum claritatis, & peramatæ IVSTITIAE demoſtrauit exempla: Ex ſolo cultu pietatis in Deum templorũ viſitatione, didicit bene IVSTITIAM, immò docuit non ſolũ non contemnendos Diuos, verum etiam ijs venerationem, & adorationem præſtandam; ex debita in ſuos Genitores obtemperantia, IVSTITIAM didicit, inquam, à qua trahit originem, Obedientia, cum ſit habitus omnibus parendi preceptis, quæ à Ratione proficiſcuntur, [B] & ideò Cyrus Perſarum Rex, militem, qui cum interfecturus, gladium eduxiſſet, & claſſico audito ictus cohibuiſſet, hoſtemque dimiſiſſet laudaſſe dicitur, eò quod militarem Legem pluris, quàm hoſtem feciſſet, [C] & nunc apprimè dici poteſt habuiſſe hunc militem Ius in armis.

Ab infantiæ carcere vix libertate donatus IVO; valido, firmoque præmunitus ingenio patria tecta reliquit. Quam prudens? Qui enim ſe in aliquem locum, vt propriam Patriam includendum putat, aut qui, niſi vbi natus eſt, ſe viuere non poſſe arbitratur, is omninò vel animi, vel conſilij eſt inops, cum ſolis plantis Natura propriam patriam tradiderit vbi illas affixit. [D] Lutetiam properauit Pariſiorum celeberrimam Vrbem: Hæ Gallorum Athenæ ſunt; hìc animam nobilioribus principijs inſtructam perficere terminauit. Fœcundiſſimo IVONIS ingenio ſciendi, ac diſcendi cupido par erat, & quod magis intereſt numquam aberat pietas, quæ ex ſui definitione, vt tradit Romanæ eloquentiæ Princeps appellatur IVSTISTIA erga Deos; [E] & ex Sanctorum Patrum ſententia, Penes Deum, nec pietas ſine IVSTITIA eſt, nec ſine pietate IVSTITIA, & ſine pietate Cœleſtis ſenſus, ſine bonitate æquitas non habetur. Virtutes, ſi ſeparatæ ſunt dilabuntur: æquitas ſine bonitate ſæuitia eſt; & IVSTITIA ſine pietate crudelitas. [F]

Aureliam poſtea ſe contulit, vt Pontificij iuris ſtudio theologicum aliud annecteret; Diuiniſſima Angelici ſpiritus exercitamenta, & ad ſuæ IVSTITIAE finem comparandum aptiſſima

A Pier. Valer. in hyer. lib. 43. fol. 486. verb. celebritas l. D

B Iouinian. Pon. in lib. de obe

C Alex. ab Ale. lib. 1 cap. 20. ex Pedia Xenophon.

D Natal. Com. in mythol. lib. 3. cap. 8. fol. 21

E Cic. lib. 1. de nat. Deorum.

F Petr. Chryſo. Serm. 145. de generat.

mæ. Dum tanta Præceptorum admiratione proficiebat in illis, quid memorem cæteras IVONIS virtutes ad quodcunque mortalium exemplar? Ieiunijs, vigilijs, lucubrationibus viliſsimum hoc deſpiciebat corpus; conuiuia, delicias euitabat luxus, conſortia, contubernia fugiebat, ſolitudinem ardebat, & nunquam

A In eius vita c. 2.

otioſus; A nonne diuinitatem ſapiunt hæc omnia? Qui tortuoſis affectionum laqueis irretitum nõ habet pedem in æternitatis centro tutiſsimè figit: Et ibi IVSTITIAM reperit, vbi regnat Aeternitas. Ergò Virtutis tranſgreſſus IVO Sacratiſsimas ædes, fœdiſſimos mundi luſus profligat, garrulas ſenſus illecebras. Non ſine iure, cum operam Iuri daturus, ſe malè IVSTITIAM adminiſtraturum putarat, ni animi motuum fluxu, & refluxu ſedato, ſe antea iuſtum præſtaret; hoc ſenſu, quod ſcirent Populi, ſe optimè in ipſos iudicaturum, qui prius benè de eo iudicarunt. O vtinam hóc in terris obſeruaretur exemplum.

Vidiſtis modò Auditores caſtiſſimum veſtræ IVSTITIAE ſponſum, & amatorem, per publica Orbis Athænea laborantem, vt illius Sanctum mereretur coniugium. Nunc meritiſſimum coniugem, nunc tutorem acerrimum, nunc prouidum Curatorem, nunc ipſius inſtitorem zelantiſſimum cernite. Rhedonenſis Archidiaconus, cum tam præclara de IVONE accepiſſet, illum

B In eius vita c. 3.

honorificè accerſitum, Eccleſiaſticum Iudicem creat. B In hoc primo iudicij munere, quàm ſtrenuè ſanctèque ſe geſſerit, non mortalis mea potis eſt dicere, ſed Cælica prædiuitum Pauperum lingua clamabit. Non accepit munera, quæ excæcant Sapientes,

C Exod. 23. Eccl. 20.

C non conſiderauit perſonam pauperis, nec honorauit vultum Potentis, iuſtè iudicauit proximo ſuo. D Breuibus magna

D Leuit. 19.

loquuntur pauperes, Forſan ij non ignorant ab Innocentio dictum, in quoſdam prauitatis naturæ Iudices, inuenti. Vos non attenditis merita cauſarum, ſed perſonarum nõ iura ſed munera, non quid ratio dictet, ſed quod voluntas afficiet, non quid ſentiat, ſed quod mens cupiat, non quid liceat, ſed quod libet. Numquam in verbis eſt ita ſimplex oculus, vt totum corpus lucidum ſit, ſed aliquid ſemper dimittitis fermenti, quo totam maſſam corrumpitis. E

E Innoc. lib. 2. de vilit. condit. human.

Pauperum cauſſas cum mora non IVO neglexit, imò miſericors ſolicito, quò poterat pede, illas inſequebatur, Orborum præcipuè, Pupillorum, Viduarumque auxiliator pijſſimus. Orborum æquiſſimo iure, dum ſplendidiori IVSTITIAE lumine iniuriam cæcutientis fortunæ parentis vindicat ab hæredibus: Viduarum, dum, & ipſe bonorum, & honoris earumdem vigilantiſſimus cuſtos Charitatis indutus amore, coniugum vicem,

&

& perſonam non exuit. Non fallitur IVO, in recta IVSTITIAE via; hæc Dei aurea mandata vix exorta recolligit, & eruditur: In iudicando eſto Pupillis miſericors vt Pater, & pro Viro matri illorum & eris tu, velut Filius Altiſſimi obediens, & miſerebitur tui pluſquam mater. A Eccleſ. 4.

Diuitum cauſſas non cum inſtantia promouit, rigorem in pauperes non oſtendit, in Diuites ex manſuetudine non diſpenſauit, illos cum difficultate non reſpexit, iſtos cum facinore non tractauit, illos negligenter nõ audiuit iſtos ſubtiliter non auſcultauit. B Innoc. loc. præcit. Numquam in IVONEM ſurrexit pauper dicendo, Clamat pauper, & nullus exaudit, diuiti dicit, tu ſede hic benè, Pauperi verò tu ſta illic, vel ſede ſub ſcabello pedum meorum; C Innoc. ibid. Neſcit enim Auditores perſonarũ qualitatem reſpicere qui meram cogitat Aequitatem. D Caſſiod. lib. 4. epiſt. 13. Par illi cuiuſcumque generis litium cruciatu vexatis ſollicitudo, & cura fuit; Egentium, & mendicantium præcipua; nam ijs non modò, vt Iudex miniſtrabat IVSTITIAM, verum etiam fortuna, & opibus erigebat. Tantuſque ei fuit in conciliandis litigantium animis modus, vt cum ad eius Tribunal quicumque mortalium accederet, nullus malo animo diſcedebat; ſedabat, tranſigebat, & priuſquam poſtremam litis ſententiam proferret collitigantium quærebat pacem; & ſi ferret, non ſine lacrymis condemnabat. Sequebatur IVO IVSTITIAM, & miſericordiam, & inuenit vitam, IVSTITIAM, & gloriam. E Prouerb. 21.

Tātę IVONIANAE virtutis Laudes trifauci Fama canēte, Trecorenſis Epiſcopus illum apud ſe eſſe iubet, & generalem ſuæ Diœceſeos Iudicem eligit. Qualem, & quantum in poſteriori hac Iudicij exercitatione ſe præſtiterit IVO, ex primi eius muneris vngue vaſtiſſimum eius corpus metimini. Quoſdam ſæpius honores inſtant, ſuperbiunt, ſuppilata Reipub. vita relicta Magiſtratus capeſſant. At incorruptibilem Iudicem noſtrum, non ambitio momentanea, hæc prætereuntis gloriæ turgidum facit: Quia nomen, quod ab Aequitate ſumitur per ſuperbiam non tenetur. F Caſſiod. in epiſt. Ad maiora vocatur. Mortalia temnit, & dum in Terris Eucharisticum ſe Dei præbet miniſtrum, iure immortalitatem Domini exardet. Et vt melius induatur IVSTITIA ad Sanctiſſimam Sacerdotij dignitatem prouehitur. G Sacerdotes tui induantur Iuſtitia Pſal. 131. Hic modò propriiſſimas in IVONE innatas virtutes non repeto: humilitatem in ſui corporis exteriori, & interiori contemptu; ieiunia ſæuiſſima lege panis, & aquæ ſeruata, ferrea cilicia, quibus quotidiè lacerabat

corpus,

corpus,continuũ noctе,dieque,erga Deum in precibus ſtudium, quibus vna die contemplatione raptus, ſeptem dies continenter traducit, nulla potione refocillatus, nullo cibo refectus, ſemperque expers. Tot inquam prælibata virtutum genera, angelica potius oratione, quam mortali Virorum eloquio amplectenda relinquo. Hoc vnum non omittam, cum quadam die ſacrificaret, quod nunquam præteribat, eo maiori pietate ſuffultus, Sacratiſſimam eleuans hoſtiam, incredibili ſplendore igneus globus illam circumdedit, ac tantiſper obſedit, donec ille deponeret. A O verendum, & mirandum Diuinæ IVSTITIAE prodigium. Ego autem in IVSTITIA apparebo conſpetui tuo, B vt in ipſo actu verificaretur, quod Sol IVSTITIAE eſt Chriſtus Deus noſter. C Voluit Chriſtus IVONI ſub ſpecie IVSTITIAE viſibilis apparere, dum ille tantus fuerit humanæ IVSTITIAE prouidus executor, & cultor, vel forſan intelligeret, quod apud Deum magis IVSTITIA eſt accepta, quam ipſius hoſtiæ immolatio. D

A In eius vita c.8

B Prouerb.17.

C In reſp.in offic. B.ae Ma.Virgin.

D Prouerb.16.

Omnes mirificos charitatis actus, tum in pauperes, tum in proximum exercuit ſuum. Veſtiebat frigentis nuditatem, ſatiabat eſurientem, hoſpitabatur pauperem, leuabat infirmos. Tot multiplicatis virtutibus, Dei quaſi poſſeſſione filiationis adepto, ſub ſordidiſſimi pauperis forma IVONIS domum ingreditur Chriſtus; Ab IVONE humaniſſimè excipitur, recubat ille; paululum cibi deguſtat, repente ſurgit, & diſcedendo turpem deſtitutus egeſtatis figurã, & micantiſſimam Diuinitatis veſtitus imaginem, ait, Dominus Vobiſcum. Hunc pauperem, potius Cœli theſaurarium, & Dominatorem, quis non appellet Redemptorem Chriſtum? Qui accipit ſi quem miſero, dicit Dominus, me accipit, qui autem me accipit, accipit eum qui me miſit. E

E Ioan.13.

Tantus erat IVONI charitatis amor in pauperes, vt quæ à Deo ſibi fortunæ bona deſtinarentur, cuncta in illos beneficentiſſima proijciebat manu. Quid memorem illud non compendiarię charitatis exemplum cuiuſdam pauperis cum vxore, & quatuor filijs ad nouenniũ in ſua domo enutriti! quid aliud admirabile panis multiplicati, cum ei deficeret ad indigentium famem explendam? Inſolentiſſima penuriæ peſte vexabatur tunc temporis Gallia, & vna die innumera mendicantium turba IVONIS domus fores pulſante, modica illi panis copia cum eſſet, ad Cœlum manus illo extendente, bis centeni pauperes comedunt, & ſaturantur. Idemque ſecunda vice ſortitum vnico tantum pane, quingentorum, mortalium quidem, famem

extinguit. Voluit per IVONIS manus prædicati illius panis tot gentiũ millibus ſaturantis priſcà renouari miracula Chriſtus. Quid miſerabilium ægrorũ curam? Nobiliſſimam matronam acri morbo infeſtiſſimè cruciatam ſolò hauſtu panis, aquæ frigidæ madidi, IVONIS manu in calice impoſiti nonne ſoſpitem reddit? Quid Dæmones, miſerrimi hominis, corpus obſidentes, vna nocte illius tantum diuiniſſimò aſpectu glorioſè deiectos? Quid geſta in pauperum agricolarũ auxilium mirabilia? Optabant iungere ponte flumen quidam pagani, ſed trabes ad iuncturas, ac fibulas breuiores quam opus eſſet, euaſere. Accurrit IVO, ab vtroque fluminis littore ad congruam torrentis latitudinem tigna extenduntur. Non mirum Auditores, eſt Chriſtus in IVONE, & IVO in Chriſto, omnia poteſt; Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. [A] Ecquid interea? Cuiuſdam incenſæ domus omni humano deſtitutæ, preſidio ſupprimit flãmas; ignis enim extinguitur igne: Torrido, inquam, charitatis igne peruſtus, cui charitas comparatur [B] infortunium miſeratus, ad Cœlum prius ignitæ IVONIS gradiuntur preces, quam ardentis domus rapidiſſimæ flammæ, & non primum audent illæ ad Cœlum temerè extolli, quam IVONIS ipſæ de Cœlo reuerſæ in fumum ſuperbientem naturam conuertunt. Quid vltra? breui tandem fulgore in cinerem reducuntur. Quid ſileo ex ſe murmurantes, ſciſſas ſicco pede tumentis fluminis vndas, & curſu deuoluto diuiſas, cum ad Dei verbum diſſeminandum per terrarum Orbis incultiſſimos campos procederet? Sapiunt vndæ, dum callent identificatum in IVONE Chriſtum, ſi lingua Chriſti loquebatur, Ponam verba mea in ore eius, [C] & ita ſi prius multorum dierum imbre concuſſæ minantem in Cœlum extollebant verticem, modò ſacratiſſimæ Crucis ſigno luſtratæ, IVONE coram vbi Chriſtus, algidam humiliant faciem, eleuatam immutant naturam; atque vt fœliciter in Ieſus nomine peragerer iter, contra illatum fluctuantem modum, immorantur vndæ, retrotrhauntur. Tranat æquor, in campis, in Triuijs, in agris, & vbique terrarum fructiferi ſerit, centuplicati ſeminis, incorruptibiles fructus, non marcidos flores.

A 1.Ioan.4.

B Laurent. Iuſtinian. Patr.arc. lib.de ſign. vit. cap.3.

C Deutr. 18.

Poſt miracula toties cumulati panis exorta, concionatoriam aſſumit artem, monitus enim ad terrigenarum vitam alendam non ſuffecturum panem, cum Non in ſolo pane viuat homo, ſed in omni verbo, quod procedit ab ore Dei. [D]

D Luc.4.

At vbi meus Sol? vbi IVSTITIA? ego ipſe imprudens. Nonne

Nonne paulò ante fatebar, IVSTITIAE Reginæ cæteras famulari virtutes? Cur modò ab IVONIS charitate diſiunctam, exulemque IVSTITIAM reliqui? Hic adſum Orator, & quamuis IVONIS charitati deſeruiens, non expreſſis nominata verbis tibi videar; oblita, ne doleas, ſemper adhæſi, immo charitatem pronuncians, expræſſiſti IVSTITIAM, forſan Græcolatinam ignoras linguam, audias.

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλυφθεῖσα πᾶς ἀρετή ἐστιν

Quod Latinè IVSTITIA in ſe virtutem complectitur omnem, A & in ſpecie pro beneficentia accipitur. B Pro eleemoſyna intellexerunt Hebræi, & verterunt Græci. C

A Ariſtotel. lib. 5. Ethicor. cap. 3. Hier. ad Demetriad.

Non longius ergo ab IVONIANAE IVSTITIAE tramite epiſodica charitatis digreſſione receſſi Auditores, firmauit ipſa, firmauit.

B 2. Cor. 9. 10

C Deuter. 24. 13. Daniel. 4. 24. Matth. 6. 1.

Supererat planè Diuino Iuriſconſulto, vt ad ſalubre paupertatis præſidium, anteactis virtutum laboribus, ſi miniſtrauit IVSTITIAM, & in ipſo traditionis contractu, ſe de euictione obligauit, iniquè idcircò à malignantibus in ſua IVSTITIAE poſſeſſione turbata, promiſſorum non immemor, oneroſo Aduocationis ponderi, ſponte ſua Atlanticos ſubijciens humeros, ipſam inquam, paupertatem, æquo iure defenderet. Promiſſa adimpleuit, neque potius deficeret dies, quam ſingulas iuſti Patrocinantis partes in IVONE fulgentes enumeratem. Non lucro, & auaritia, ſed vnica Miſericordiæ Matre IVSTITIA pauperum cauſſas tuetur; ab illa callidè inſtructus, quod Fœneratur Domino, qui pauperum miſeretur. D Huiuſmodi in terris vſurarij non à Iure improbantur, ſed optimi argentarij in Cœli menſa includuntur. Oratione qua ſibi prius adſciuit Deum nunc contenſioſo ad iuuamen pauperum foro Iudicum corda deuincit. Confluit vndique, non vt ex ſui procedunt natura, flumina ad mare, ſed clientium inopum mare ad aureum eloquentiæ fluuium IVONEM. Benè flumini comparatur IVO, ergo, inquam, Euphrati, quem Aegyptij fœcunditatis, & fructuum exuberantiæ ſimbolum eſſe dixerunt, & IVSTITIAE, cum ex nulla quidem virtute, quam ex hac fœcundiſſima matre opimiores, lætioreſque fructus habeantur. E

D Prouerb. 19.

E Pier. Valer. dict. lib. 21. p. 97. L. C.

Credite Auditores Parentem appellabant Pupilli, Coniugem Viduæ, Carentes lumine Ducem, patentique ore per Vrbes profitebantur, iterum de Cœlo Palladium cecidiſſe, cum verè pau-

peribus

peribus æterni Creatoris munere de Cœlo miſſum putarent. Vidiſſe IVONEM, cum domo exiret tribunalia petentem; non prædiuitum litigantium turba conſeptum, non auro munitum, non ambitioſis verbis elatum, non prætenſis coactum precibus, ſed à paupere familia Chriſti comitatum pietatem excitabat, ô omniũ ſapientiſſimũ! ſciebas ex Codice, & ſacris ſyngraphis habere te alibi, veris, & realibus cambijs correſponſalem Deum. Attentas ſuis verbis porrigebant Iudices aures aduerſariorum eludebat aſtus, ſemperque victor. Ne miremini illius dicta, non Aeſchinis, non Demoſthenis, non Iſocratis ſuffuſa facundia, prediuini verò Spiritus ſancti afflatu conſperſa emanabant: Quod monet Columba in ſuæ Parrochiæ ſacrario aduolans, & ſupra ſuum immorata caput [A] ILLIVS, inquam, COLVMBAE, QVAE IVSTITIAE INALTERABILIS, NIDO INCORRVPTIBILI VIVENS SANCTISSIMI NVMQVAM MORITVRI NOMINIS ARGVIT INNOCENTIAM.

A In eius vita cap. 16.

Quid plura? fuit, vt requiritur, in conſilio cautus, in patrocinio fidelis, & in iudicio iuſtus, [B] illudque, Aduocati pauperum, nomen, in hac vita acquiſitum, retinuit IVO, conſeruauit poſtmortem. IVSTITIA tandem omnia vincit, Iudicando, Tribuendo, Conſulendo; dat miſeris opem, extinguit flammas, dæmones fugat, aquas diuidit, bis Chriſtum alloquitur, & identificatus in IVONE Chriſtus, etiam ipſe morte triumphat.

B Arch. cap. n… licet 11. q. 3 relat. à Sim. præt. de inte… vlt. volunt. l… 3. fol. 248. n.

Non dolet moriturus, quia pijs mors non eſt mors, ſed nomen tantum habet mortis, immo, & ipſum nomen ſublatum eſt, inquit, Chryſoſtomus ille. [C] Non ſuam deplorat IVO mortem, quia ſolum habent ij lacrymari, vel ſunt deplorandi, quos miſeros infernus ex hac vita recepit, non quos cœleſtis Aula lætificandos includit. [D] Metus mortis, quamuis dicatur cadere in conſtantem virum, [E] limitatur in IVSTVM, quem IVSTITIA liberabit à morte. [F] Lætatur, gratulatur, cum Ieiunijs, & laboribus fracto ſibi extremus videatur aduentare dies, & vltimo Paradiſum petens anhelitu, in lucidiſſimo IVSTITIAE Sole Chriſto Crucifixo, vt Regia illa Auis, figit oculos IVO. Aethereas aſcendit aulas, & ipſi, inceſſabili Cherubim, & Seraphim vox proclamat, SANCTVS, SANCTVS: Qui Clementi Septimo inſomnis apparens, & ſcipioni inhærens, fuit ſubito Pontificis iuſſu, communi gentium applauſu, canonizatus.

C Chryſ. in hor…
D Iſid. lib. 3. d… ſum. bon.
E Plut. in Laco…
F Prouerb. 10.

VI.

Dili-

Diligite IVSTITIAM, QVI IVDICATIS TERRAM,
Et nos ò Conſocij mei præſtantiſſimi, per hanc IVSTITIÆ ſemitam præcurſorem ſequamur noſtrum. IVSTITIA VINCIT OMNIA: Et QVI OPERATVR IVSTITIAM,
A IPSE EXALTABITVR. lcſ. 20.

QVARE, &c.